



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi**

**Johannes <Climacus>**

**Coloniae, 1583**

**VD16 J 520**

Vita eiusdem Gregorij Patriarchæ Theopolitani. Cap. CXL.

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

## CAPVT CXXXIX.

**D**E hoc Abbate Sergio Anachoreta narrauit nobis Abbas Sergius Armenius eius discipulus, quod plurimum sibi molestus fuerit Abbas Gregorius, qui erat dux monasterij Pharan, ut illum duceret ad senem. Die ergo quadam adduxit illum ad ipsum. Erat autem senex tunc circa regionem maris mortui. Cum igitur vidisset eum senex, libentissimè salutauit, allataque aqua lauit pedes eius, ac per totam diem collocutus cum eo de ædificatione animæ, die alia dimisit eum. Postquam verò abcessit Abbas Gregorius, dixi, inquit, ego seni: Scis, pater, quia scandalizatus sum, quod cum plurimos<sup>1</sup> Episcopos, Presbyteros, & alios duxerim ad te, nullus vnquam illorum pedes lauiti, nisi tantum Abbatis Gregorij: Tunc ait ad me senex: Fili, ego quis sit Abbas Gregorius, nescio, hoc tantum scio, quia Patriarcham excepti in speluncam meam. Nam & pallium sanctum illud ferentem vidi, & Euangelium. Quod ita factum est. Post sex enim annos ipsum Abbatem Gregorium, ita ordinante Deo, Patriarcham Theopolitanum factum vidimus, sicut prædixerat senex.

<sup>1</sup> Si plurimos Episcopos, ac Presbyteros, & alios duxit ad senem, ergo non omnes fideles sunt ex æquo Episcopi, non omnes Presbyteri, ut nunc quidam mentiuntur.

Vita eiusdem Gregorij Patriarchæ Theopolitani.

## CAP. CXL.

**D**ICEBANT quidam senum de hoc Patriarcha Theopolitano Gregorio, quod his maximè<sup>1</sup> virtutibus fuisset insignis elemosinis scilicet, iniuriarum obliuione, & lachrymis.

Habebat



Habebat autem & compassionem maximam ad eos, qui peccabant. Quarum omnium rerū nos sepe experimenta cœpimus.

*1 Virtutes quæ sanctum patrem reddebant commendabilem.*

*Prudens responsio Abbatis Olympij.*

C A P . C X L I .

**F**Rater quidam venit ad Abbatem Olympium in monasterium Abbatis Gerasimi prope Iordanem, & dixit ei: Abba, quomodo sedes in spelunca ista propter æstus magnitudinem, & cyniphes? Respondit ei senex: Fili, ista idcirco tolero, ut futuris cruciatibus liberer. Ideo cyniphes patior, ut immortalē effugiam vermem; similiter & æstum hunc perfero, sempiterni ignis supplicia metuens. Hęc enim sunt temporalia sunt illa vero finem nullum habent.

*Alia Prudens Responsio Abbatis Alexandri.*

C A P V T . C X L I I .

**F**Rater alius perrexit ad Abbatem Alexandrum ipsius monasterij Abbatis Gerasimi ducentum, & ait illi: Abba, volo ex eo loco, ubi habito, discedere. Valde enim acedia, & tædio animi laboro: Respondit ei Abbas Alexander: Istud filii signum est, quia nec regnū cœlorū, nec æternū cruciatū in mente habes. Nam si ista sollicitudine cogitares, nullam in cella tua acedia sentirens.

*Vita David Latronum principis, postea monachus effecti.*

C A P V T . C X L I I I .

**C**um venissemus in Thebaidem, conuenimus Sophistam Phibamonem in vrbe Antinoe.

*Narra-*